Volume arranged alphabetically
by University B–H and then
chronologically

G. FOX. LONDON. W.1.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31870910_0002

24.
47915
1

ΘΕΩΡΗΜΑ ΙΑΤΡΙΚΟΝ
De
APPETITU DEPRAVATO
PICA
DICTO,

Quod

AUSPICE DEO CHRISTO DUCE
ET
SPIRITU SANCTO ADSISTENTE,

In Florentiſſimo Noricorum Athenæo,
SUB FELICI MODERAMINE
RECTORIS MAGNIFICI
VIRI
Nobiliſsimi Ampliſsimi & Excellentiſsimi
DN. MAURITII HOFFMANNI,
Med. D. Anat. Chirurg. & Botan. P. P. Famigeratiſſimi,
Horti Medici Præfecti & Facultatis Suæ Senioris Graviſſimi,
Dn. Præceptoris ac Promotoris ſui omni obſervantiæ
cultu proſequendi,

PUBLICO ET AMICO ΤΩΝ ΦΙΛΙΑΤΡΩΝ DISCURSUI

Ad d. IX. *Auguſt.*

A. O. R. cIↄ. Iↄc. LXII.

ſacrat

JOHANNES FRIDERICUS Hubrigt
Bernſtadienſis Sileſius.

ALTDORFFI, Stanno GÖBELIANO.

50.

SERENISSIMI. ET. CELSISSIMI.

PRINCIPIS. AC. DOMINI.

DOMINI.

SYLVII.

DUCIS. WURTENBERGENSIS.

ET. TECCENSIS.

NEC. NON.

IN. SILESIA. OLSNENSIS. ET. BEROLSTADIENSIS.

COMITIS. MONTPELGARTENSIS.

DYNASTÆ. IN. Heidenheim. Sternberg.

ET. Medzibohr. &c.

DOMINI. MEI. CLEMENTISSIMI.

NUTRITORIS. MUNIFICENTISSIMI.

SUMMO. SENATUI. ECCLESIASTICO.

POLITICO.

VIRIS.

GRATIOSA. GENEROSITATE. INCLUTISSIMIS.

MAGNIFICA. AUCTORITATE. NOBILISSIMIS.

ADMIRANDA. PRUDENTIA. EXCELLENTISSIMIS.

INEXHAUSTA. EXPERIENTIA. FAMIGERATISSIMIS.

DN. JOHANNI. GEORGIO. à. Langenau.

ET. Groß Strenitz. IN. Dobriſchau.

CONSILIARIO. EMERITO.

ATQUE.

DUCATUS. OLSNENSIS. CAPITANEO.

EMINENTISSIMO.

DN. JOHANNI. HUBRIGIO.

CONSILIARIO. ET. CANCELLARIO. GRAVISSIMO.

DN. MATTHÆO. SCHOLTZEN.
DN. JOHANNI. GEORGIO. DIERIX.
DN. JOHANNI. FRIDERICO. à Langenau.
ET. Groß Strenitz. IN. Dobriſchau.
CONSILIARIIS. SPLENDIDISSIMIS.
DN. JOHANNI. WILHELMO. AGRICOLÆ.
PHIL. ET. MED. D. ARCHIATROQUE.
FELICISSIMO.
UT. ET.
DN. FRIDERICO. JOHANNI. DREXELIO.
IN. ILLUSTRI. OLSNA. JURIS. PRACTICO.
DEXTERRIMO.
DN. FRIDERICO. ORTLOBIO.
PHIL. ET. MED. D. APUDQUE. DISTRICTUM.
NAMSLAVIENSEM. ORDINARIO.
EXPERIENTISSIMO.
EVERGETIS. SUMMIS. PATRONIS. BENIGNIS.
PROMOTORIBUS. OPTIMIS. FAUTORIBUS. MAXIMIS.
PARENTI. OCULISSIMO. AFFINIBUS. DULCISSIMIS.
IN. TEMPLO. MACHAONIO.
AD. ARAM.
OFFICIOSISSIMÆ. VENERATIONIS.
SUBJECTISSIMÆ. SUBMISSIONIS.
INCOMTUM. HOC. ET. EXIGUUM.
DEVOTISSIMÆ. MENTIS.
PIGNUS.
HUMILLIME. DEPONIT.
AUCTOR.

Pro-

Q. S. S. T. B. V.

Procemium.

Nihil eſt in totâ rerum univerſitate, quod non quot decantatores, tot etiam, ſi non plures, habeat vituperatores. Hoc nemini ignotum videbitur, nec eſt quod videatur & plurimis reddatur notiſſimum. Nam pauca impræſentiarum in pauciſſima nobis contrahenda, nec plura plurimis congerenda & accumulanda. Attamen, ut quò mens noſtra inclinet, intelligatur, exemplo novantiquo nobis eſſe debet SEQUIOR SEXUS. *Non enim pauci, ſed multi fuêre, qui decantatiſſimas illius excellentias, illuſtres animi dotes & cœlo cognitas virtutes immortalibus decantârunt laudibus. Econtra neq; pauci, ſed plurimi diriſſimum verborum in illum evomuêre virus, & luxuriante calamo deſcripſêre inſatiabiles libidines, quarum memor* Propertius *à ſuâ accuſatus Amaſia,* lib.3. *hanc ipſi dedit reſponſionem:*

Objicitur toties à Te mihi noſtra libido,
Crede mihi, vobis imperat iſta magis.
Vos, ubi contempti rupiſtis frena pudoris,
Neſcitis captæ mentis habere modum.

Callidiſſimas item fraudes, gulæ luxuriam, ſuperbiam, rixas, & hujus farinæ alia, quæ nobis tacentibus ipſæmet haud rarò loquuntur. Noſtra igitur Erato *irâ non accenſa aut libidine convicia in Fœminas evomendi, ſed lapſus, licet non omnes, tamen inevitabiles nonnullos demonſtrandi pruriens, ambabus, ut ajunt, manibus largitur, petulantes ſæpè eſſe & honeſtatis limites tranſcendere, vehementiusq; libidinis turbari œſtro, ita ut interdum impudiciſſimâ mente quærant libidinoſorum fomentorum refrigeria, ſed non tàm ob explenda laſciva conamina, quàm cauſarum morbificarum declinanda ſymptomata. Planè uti ſe res etiam habet* in Appetitus depravatione Pica *dicta, cujus occaſione prægnantes mente per conſenſum corporis laborante, ut plurimum negata præſentibus, ſordida puriſſimis*

A   *& Nectare*

& Nectare Ambroſiaq; pleniſſimis, conſueta inconſuetis, impoſſibilia poſſibilibus præferunt, taliaq; ſæpè expetunt & deglutiunt, quæ ſibi & fœtui incommoda pariunt damnoſiſſima. Inanem igitur non ſuſceperimus laborem, ſi penetralia hujus mali, quod auditu ſanè horribile, viſu terribile, curatu & expugnatu ſat operoſum, examinaverimus, & ex naturâ Sanguinis, vitæ ac valetudinis fonte, pro eius curatione quid moliendum, quid corrigendum, quid conſervandum, quidvé redintegrandum inſinuaverimus. Verum antequam id, quod exſequendum, exſequamur, ad Te, ô DULCISSIME JESU, *confugimus,* Teq; *devotiſſimis veneramur votis, ut Gratia Tua Gratioſa nobiscum ſit & eſſe velit, quô operâ noſtrâ* Glorioſiſſimi *Nominis Tui* Gloriæ *unicè adaugeatur, veritatis defenſio ſtrenuè ſuſcipiatur, ſtudiorum noſtrorum curſus optimè promoveatur, & languentium, ſi non omnium, tamen plurimorum,* Salus citò, tutò & jucundè *procuretur. Freti hôc tuô auxiliô, ad rem ipſam nos accingimus & ponimus*

THEOREMA I.

QUamvis operoſa vocabulorum ἐξήγησις parum aut nihil ad ſalutarem curandi methodum ac fructuoſam affectionum præternaturalium ex corpore humano extirpationem conferat, cum teſte GAL. *l.* 1. *m. m.* 7. non ex nominum, ſed ex rerum rectâ opinione recta morborum curatio contingat, nec ex horum exquiſitâ impoſitione, ſed ex appoſitis remediis ſalus ægrotantibus appareat, & ita Medicus non verbis ſed herbis ſuum finem aſſequatur feliciſſimè. Attamen receptiſſimi moris ergô pauxillum temporis illorum aucupio vendicabimus, memores *Ciceronis* præcepti, quo monemur, omnem cum rectâ ratione de re aliquâ ſuſceptam tractationem, à nominis proficiſci debere explicatione, cum nomen ſit rei nota, quæ nobis plurimum ad clariorem rei demonſtrationem, monente ZABARELL. *de trib. præcog. c.*3. præſtat. Non itaque ἀμεθόδως procedemus, ſi in limine noſtræ Diſputationis *nominalem* PICÆ propoſuerimus *delineationem*.

Hæc

II.

Hæc autem variis, à variis Philologis, inſignitur nomenclaturis: *Arabibus* Corruptio appetitus, *Græcis* uti AETIO *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *c.* 10. ſemel & ſemper κίσσα & Attic. κίττα, ἀπὸ τοῦ κισσοῦ, ob hederæ convenientiam, quæ κιττὸς vocitatur: Quemadmodum enim illa omnis generis plantis & arboribus adhæret, iisque ſe arctiſſimè quaſi agglutinat; ita & Mulieres hôc malo preſſæ & ſuppreſſæ multigenis & abſurdiſſimis quibusvis inhiant extraneis eduliis. Hinc κισσᾶν, picare ſive Pica laborare dicuntur ARIST. 7. *hiſt. animal. c.* 4. Indigitatur quoque *Malaciæ* nomine, ἀπὸ τοῦ μαλακοῦ, quod Plin. *l.* 23. *c.* 6. mollitiem quandam Prægnantiũ vocat & defectionem, à μαλάσσω mollio, quia Languentes modò hoc, modò illud deſiderant. Unde occaſio diſtinctionis, quod MERCURIAL. & *alii* Malaciam & Picam, cùm Malaciâ propriè ſignificet mollitiem, quæ languor ſcil. & laxitas, ob quam ventriculus nec appetere cibum, nec concoquere poſſit, diverſa morbi genera ſtatuerint: Præſertim cùm PLIN. malicorium malaciæ conveniens medicamentum pronunciet, ceu adſtringens, & in laxitate ventriculi, non verò in Picâ convenire videatur. Hinc etiam ex mente *Clar.* SENNERT. *l.* 3. *part.* 1. *ſ.* 2. *c.* 5. Pica viris ac mulieribus, parvulis & adultis communis, Malacia verò utero gerentibus propria haberi poteſt, licet utriusque eadem ferè natura. In *Latio* audit *Pica*, à loquacissilla nemini forſan ignota avicula, vel quod terram appetat, vel à varietate pennarum, vel quia ſubindè mutat appetitum, non ſecus quàm Pica loca; Vel denique quod ſingulis annis calveſcat, cum rapa ſeruntur ex PLIN. *l.* 10. *hiſt. nat. c.* 29. Nam ſicut illa pennis varia, ſic & in noſtra appetuntur varia, modo alba, ut *gypſus, creta, teſtæ ovorum*, &c. modo nigra, ut *carbones, creta, aliaq;. Germanis* das Unnatürliche

Lüſtern / oder das Gelüſten der Schwangern Weiber nuncupatur.

III.

Ventilato ὀνομασίας apparatu, *realem*, in quo ipſius rei nucleus ſeu definitio occurrit, ventilabimus. Commodiſſimè autem ſequenti modo deſcribitur: *Pica eſt deſiderium alimentorum extraneorum, ratione loci, temporis, nutrimenti, conſuetudinis, dependens ab adulteratione fermenti ventriculi, appetitum aliàs naturaliter excitantis, animum in conſenſum rapiente.*

IV.

Genus diximus *deſiderium alimentorum extraneorum*, quod juxta GAL. *de ſympt. cauſ. l.* 1. & LAURENT. *in controverſ. anatom. p.* 453. non credendum, proficiſci ab inteſtinorum tractione, & hanc à venis meſaraicis, Epate & Liene adjuvantibus, quia à motu ſanguinis & ſpirituum circulari ſuctio illa impedita eſt. Meritò itaque iſtius ſententiæ ſemen nullum apud nos invenit fomentum, ſed ceu in petrâ ſparſum, penitus exaruit. Sanguine enim turgent Obeſi & Pueri, fames tamen adeſt. Econtra ſanguine è vaſis largiſſimè proſiliente, ut in hæmorrhagia narium, nimio menſium vel hæmorrhoidum fluxu, nec tamen in illis neque aliis morbo Chronico laborantibus, in quibus admodum vaſa deplentur, appetitus oritur. Denique accedit & hoc, quod antequam Chylus ventriculum deſerit, aut in ſanguinem abit, deſiderium ſeu fames ſedatur. Mancam inſuper mutilamque pronuntiamus & illam GAL. *comm.* 3. *in l.* 6. *epid.* §. 37. & HELMONT. *l. de ſextupl. digeſt.* §. 28 & 29. ſententiam, quæ ſucco melancholico ex liene in ventriculum eructato appetitivam adſcribit virtutem, cùm talis humor per naturam neque in liene præſens ſit, neque aliunde colligatur, nullus enim patet

in

in homine ductus è lienead ventriculum naturaliter, qui viam ſucco acido concedat, uti hanc rem clariſſimè docet *Excellentiſſ. Dn. D.* CONRING. *l. de ſangu. generat. & mot. nat. c.* 12, 13, *&* 14. Nos ut paucis rem expediamus, & quid ſentiamus, explicemus, ſtatuimus ex *Diſp. de Nutrit. §.* 13 *&* 14. *Gratioſiſſimi* DN. MAURITII HOFFMANNI *Præſidis & Doctoris noſtri fideliſſimi*, deſiderium illud provenire, ab afflictione quâdam ventriculi, quam certa ſubſtantia ex iis, quæ corpus noſtrum afficiunt ſcil. humoroſa, parit, uno verbo, fermentum ventriculi, materia quædam acida & quoad conſiſtentiam ferè pituitoſa, partim ex colliquamento, cui fœtus nondum natus innatat, partim etiam ex materiâ ſalivali ſeu humiditate cerebri originem ducens, ſeq; ex reliquiis aſſumtorum continuans.

V.

Subjectum, quod ab afficiente hâc materiâ afficitur, eſt *ventriculus*, aut potius *orificium ejus ſiniſtrum latius*, (malè vulgò ſuperius dictum, ſunt enim utraque orificia in eôdem diametro locata) continuum cum Oeſophago, fibris carnoſis circularibus præditum, exquiſitiſſimique ſenſus, ob copiam nervorum ſexti paris hinc indè ſparſorũ, ita ut GAL. 5. *de loc. aff. c.* 6. appetitus ſedes & domicilium audiat. Cùm enim à nativo & domeſtico adjacentium viſcerum ſanguineorum ſive igneorum calore acor fermenti adaugetur, non poteſt non ille gratam quandam moleſtiam creare, adque uſum alimentorum capiendorum nos invitare, quam labor exacerbare valet, ex HIPP. *aph.* 16. *ſ.* 2.

VI.

Minimè tamen *tale deſiderium Prægnantium naturale*, ſed *præternaturale* habendum. Nam, non ſemper naturæ licet interdum cauſæ, ſimillima, ſed ſæpè diſſimillima cupiunt, ut appetitus hic ſit aliquo modo ſimilium,

aliquo modo contrariorum. Equidem & delectantur ejusmodi aſſumtis & juvantur. Quare non erit appetitus ſemper contrariorum, uti AVICENN. CAPIVACC. MASSAR. ALTIMAR. SAXON. placuit, nec ſemper ſimilium, ut FRANC. VALLES. *l.* 5. *Controvers. med. c.* 7. Nec in quantitate ſolâ uti Appetentia canina, ſed qualitate peccat, & concupiſcentia pravorum alimentorum extraneorum ſalutatur.

VII.

Quadruplici autem ratione alimenta illa extranea explicantur & quidem 1. *ratione temporis*, ut ſi quis Vere uvas, Æſtate nivem, Autumno aſparagum & Hyeme fraga appeteret. 2. Loci, ut ſi quis Altdorfi hoc momento cerviſiam Serveſtanam, Wratislavienſem, aut Brunſvicenſem deſideraret. 3. & 4. denique *Conſuetudinis & Nutrimenti*, cujus reſpectu omnia poſſunt dici extranea, quæ aliàs inuſitata & tantùm illis laborantibus videntur nutrire, cum tamen verè non nutriant. Mulieres enim hoc malo correptæ, illaque extranea cupientes & capientes, ſeque errare nullo modo putantes, alimenta iſta prava & inconvenientia ſub ſpecie boni efflagitant.

VIII.

Hinc elucescit *appetitum non ratione actionis, ſed Phantaſiæ depravari*, adeoque *ſubeſſe ſymptoma functionum animalium ſenſitivarum.* Appetitus enim naturalis non ſed animalis hîc aberrat, cùm non cibos conſuetos, ſed pravâ qualitate imbutos appetat. Omne igitur ſymptoma cùm morbum præſupponat, & hunc, ut umbra corpus, & effectus ſuas cauſas, ſequatur, meritò & hic de morbo ſolliciti eſſe debemus, quia ſublato illo, ſymptomata quoque tolluntur. *Eſt* verò *morbus intemperiei malignæ tunicas affligentis, culpâ viſcerum ſanguinis depurationi dicatorum natæ*, ut ſunt *Epar, Lien, Ductus Pancreaticus, Uterus, &c.* quæ

omnia

omnia ad eliminationem humorum vitioſorum è corpore Natura provida fabricavit. Totum enim corpus, ſanguificationem juvat, impeditisque viſceribus quoties non ritè præparatur, relinquitur ſanguis intemperatus, paſſimque intemperantiam ſuam prodit, & quod in corporis debebat cedere alimentum, cauſæ morbificæ ſupplementum addit, dictiq; ſymptomatis author fit. Propterea Gravidas potiſſimum hoc ſymptoma afficit primis duobus aut tribus menſibus, haud rarò ad quartum usque perdurat, & deinceps miteſcere incipit, cum tunc temporis fœtus grandior & calor potentior factus, plusquàm anteà nutrimenti abſumat. Primis enim duobus menſibus, quibus Prægantes hoc malo plerumque tentantur, Embryo pauci humoris alumnus ac tenellus adeò eſt, ut fœtus nomine vix dignus cenſendus, ſed tantùm conceptus, uti GAL. *l.* 1. *de ſemin.* docet. Conceptu verò grandeſcente, copioſius alimentum, calore adaucto abſumitur, & tunc non ſolum id quod optimum, ſed & quod noxium ſimul in naturæ uſum convertitur, hinc fit, ut totum corpus plenitudine laborare deſinat, nec amplius vitioſo ſucco infeſtetur.

IX.

Morbus itaque productus, ſuas præſupponit cauſas. Nam in corpore nihil accidit & nullus producitur effectus absque aliquâ cauſâ, cauſisque non cognitis, Lux veræ cognitionis non affulget, ZABARELL. *l.* 4. *Metaphyſic. c.* 10. PERER. 4. *Phyſic. c.* 19. Econtrà hiſcè percognitis & inventis ſolidæ ſcientiæ Sol oritur, ARIST. 1. *poſt. c.* 2. *l.* 5. *l.* 2. *Phyſic. c.* 3. 4. Hæ nunc inquirendæ, hæ proponendæ. Methodicè autem illas proponemus & in *duas* cum GAL. *de cauſ. morb.* & alias uſitatas *claſſes* diſtinguemus, nimirum in *immediatam* ſeu *proximam* & *mediatas* ſeu *remotas*.

Cauſa

X.

Cauſa immediata & *proxima*, ſeu quæ hujus mali author, *fermentum* eſt *adulteratum*, tunicis ventriculi inhærens, orificiumque ventriculi affligens. Nam ut ventriculus portionibus fermenti naturalibus affectus, actiones ſuas ritè exercet, ita vitioſis à Cerebro cùm ſaliva deſtillantibus ſæpè, cujusmodi exemplum HILDAN. *cent.*1. *obſ.*37. offert, abundans conſuetudinis ſuæ quaſi obliviſcitur, appetitumque nonnaturalem ſæpè ita movet, ut reſpectu deſiderii, non tàm depravata fiat actio, quàm reſpectu objecti per phantaſiam commendatiſſimi redditi.

X I.

Fermentum verò ſeu *acor ventriculi*, ara Ignis nativi, quo deficiente omnia deficiunt, pereunte pereunt, dum enim neq; futuri Sanguinis in Vaſis præparatio, neq; fibroſi in Cerebro ritè celebratur, nec Sanguificatio, nec Sanguinis diſpenſatio, docente *Spectatiſſ.* Dn. D. PRÆSID. *in fructuoſiſſimo Inſtit. Med. colleg. Diſp.* 8. celebrabitur, *duplici modo adulteratur*, vel *ab aſſumtis vitioſis pravas reliquias in ventriculi capacitate relinquentibus*, vel *ab humoribus ad ventriculum ex viſceribus redundantibus.*

X I I.

Pravæ relinquuntur reliquiæ, ab uſu nimio *anguillarum, tincarum, fragorum, paſtinacæ crudioris, fungorum, philtrorum & ſimilium*, inſtar contagii fermentum imbuentes & per fermentum animum ad illis ſimilis ſubſtantiæ deſiderium invitantes, & vim fermenti naturalem quaſi ſepelientes, ut compagem conſuetorum ſolvere nequeat, multò minus portionum ſalubrium extractionem juvet. Nam ab inconſuetâ & immodicâ, uti GAL. 6. *de ſympt. cauſ.* innuit, ciborum copiâ, quaſi victus ventriculus ſeu potiùs fermentum, non ſolum à coquendo ceſſat, ſed & nullatenus

coctio-

coctionem aggreditur. Quemadmodum enim ſtrues lignorum ignem; ita quoque calorem nativum immoderatiùs aſſumta ſuffocant, Hipp. *aph.* 17. *ſ.* 2. Reſultant ergò cruditates, obnoxiæ corruptioni.

XIII.

Redundant autem *humores*, quando *excernenda*, quippè quæ ſingulis aliàs & conſuetis temporibus debebant excerni, *non excernuntur*, *ſed retinentur*, uti in Gravidis ob menſium retentionem promptiſſimè laſciviunt. Facto enim conceptu, foràs ulterius non erumpunt, quia tunc temporis Uterus clauditur & collecto quaſi pro incubatione ſanguine, ad inſalubria eliminanda ineptus redditur. Quarè non ſolùm humores ab utero, aut partibus affectis in ſanguinem redundant, ſed & Sanguis inſalubres iſtas portiones ad Epar, regiam purgationum viam, perque porum biliarium ad inteſtinum duodenum amandat & expurgat. Hoc verò moleſtiſſimè ferendo, obque illam moleſtiam ſeſe coarctando, easdem per pylorum in Ventriculum cogit, ubi cum fermento mixtæ, tunicis ventriculi infenſiſſimæ fiunt, orificiumque ejus ita moleſtant, ut hic animo deſiderium conciliare, vel ab animo reci pere videatur.

XIV.

Hæc cui minus veriſimilia, conſulat *venerandi Artis noſtræ Parentis* Hipp. *de ſterilib.* verba ſequentia: *Quæ Mulieres conceperunt, oris ventriculi morſu torquentur*, quod ſanè non aliam ob cauſam fit, quàm ob menſium eò redundantium, vel humorum pravorum impactorum copiam: & Gal. *l.* 1. *de ſympt. cauſ. pravas qualitates appetunt ii, quibus ventriculi tunicæ pravo aliquo excremento imbutæ ſunt.* Propterea tali inordinatâ inappetentia etiã Viri atro humore infeſtati, virginesque morbo virgineo correptæ, frequen-

tius tamen Prægnantes infeſtantur, teſtante AMAT. LUSIT. *cent. 3. curat. 86.* & FOREST. *l. 18 Scholiograph. ad Obſervat. 7.* Tam maligna enim vitioſorum humorum fit conſtitutio, ut Scabioſi, Leproſi & Elephantiaci, evadant nonnunquam & Malaciaci, haud raro etiam natos huic malo obnoxios relinquant.

XV.

Attamen, cùm omnium Mulierum non una eademque ſit Natura, ideoque neque omnes huic malo exponuntur, ſed eæ ſaltem, quæ incontinentiores præ cæteris cacochymiâ laborant & animi affectibus nimium indulgent. Hiſcè namq; vis maxima eſſe ſolet in Gravidis, ut hoc obiter adiiciamus, & ſupra quam credi poteſt, ita ut cupiditatis fruſtrationem ſupplicium ſentiat fœtus abortum, vel (ſicuti etiam ex terrore fit) nævorum indelebilem characterem. Hinc quotidiè videas mora, fraga, pyra &c. Natis impreſſa, quæ tamen impreſſio non ubivis efflorefcit, ſed tantum in certis quibusdam corporis locis. Quò enim anima materna turbata per inexplicabilem animi vim, & flammæ vitalis activitatem, mediante Sanguinis circulatione, fertur, eò ſimul intendit anima fœtus, & Macula ſeu Nævus, German. ein Muttermahl ipſi in parte aliquâ ex contactu matris quaſi deſignata exprimitur, maxima ſcil. tunc animi & flammæ vitalis Maternæ robuſtæ, verba ſunt *Nobiliſſ.* Dn. D. PRÆSID. *Inſtit. Med. Diſp. 2.* & *Diſp. de Lacrymis nuperrimè habit. th.* 19. in flammam fientis fœtus debilem, vis eſt. Quarè animus Maternus ob rem deſideratam, ſed denegatam, turbatus, non poteſt non Naturam illam, quàm quaſi per terrorem accepit, communicare flammæ vitali, flamma vitalis ſanguini, & conſequenter Sanguis quibuslibet corporis partibus. Unde clarè eluceſcit, Picam noſtram & animi & corporis

poris

poris morbum eſſe. Et non immeritò, quod aliàs proverbii loco dicitur, Imaginatio facit caſum, ex *Plin. nat. hiſt. l.* 7. *& Sennert. de conſens. & diſſens. chymic. c.* 14. *de virib. imaginationis.* Certiſſimum atque evidentiſſimum exemplum hujus rei *Gaudæ* in Hollandia quondam dedit Mulier quædam, quæ, poſtquam ob gregem Indicorum gallinaceorum, interq; hos gallum præ cæteris ſpectatæ formæ caudam criſtasque erigentem, variasque formas induentem, animo conſternata fuit, monſtroſum & admodum dein laborioſum partum habuit, cujus delineationem appoſitisſimè recenſet BAED. RONSSEUS *cap.* 10. *de human. vit. primord.* Sic etiam narratur de Iſenaci formoſa & pudica Matrona, quòd murem majorem enixa fuerit, quia, poſtquàm ex vicinis aliquis muri majori nolam ſuſpenderat, ad cujus ſonitum reliqui fugarentur, & hic, mulieri gravidę occurrens, ignarę rei terrorem excitaverat, ſubito accurſu & aſpectu muris ita tentata fit, ut fœtus in utero degeneraverit in formam beſtiolæ, ex M. VEINRICHII *Commentar. de Monſtris c.*17. Hujusmodi caſum imaginationis ante ſeptennium Civis hujus oppidi *Altdorff.* doluit, cùm larvatum ædium ſuarum frontiſpicio appoſitum ornamentum, quadantenus monſtroſum, auribusque nimis vaſtis dotatum, à Gravida monſtroſi fœtus cauſa, (tali n. formâ & figurâ, quâ illud ornamentum erat, dehoneſtatum fuit fœtus caput,) accuſaretur, & juſſu Magiſtratus removeretur. Et hæc de animi potentia.

XVI.

Stupenda inſuper quoque ſunt exempla, quæ Gravidarum narrant miſeriam, commiſeratione ſanè digniſſimam. SCHENCK. *l.* 4. *obſerv. med. obſerv.* 131. refert, Mulierem quandam Uterum ferentem, deſiderio humeri piſtoris cujusdam denudati, & panem ad furnum deferentis,

irretitam, mœſtam cibum omnem præter carnem de pi-ſtoris humero faſtidiiſſe: pactô pretiô per maritum, duos dentium inſultus à muliere piſtorem ſuſtinuiſſe, doloris autem pertæſum tertium ferre recuſâſſe. Mirum quid accidit? Mulier tergeminos enititur, vivos duos, tertium verò mortuum. *Alia,* in pago non longè ab Andernaco, Epiſcopi *Colonienſis* oppido, in littore Rheni, malaciâ laborans, & carne Mariti veſci deſiderans, clàm eundem occidit & dimidia ferè carne ſaturata, reliquum ſale maceravit; quod Ipſamet, Malaciæ fervor poſtquam deferbuit, non ſine mærore confeſſa eſt. LANG. *Epiſt.* 12. *tom.* 2. Et *Lembergi* in amœno Sileſiæ & regali oppido quendam lotis & nudis pedibus egreſſum balneo, inque plantis de more crepidas deferentem, Mulier gravida ſubſecuta, pedum deſiderio capta, procidit à tergo in genua, ac ambabus manibus crure altero apprehenſo, de calce illius mordicus dentibus fruſtum evulſit, nihil illius clamorem expaveſcens, quo Deorum hominumque fidem & ſubſidium implorabat. IDEM. Denique viri & cujusdam Nobilis meminit FERNEL. *de part. morb. & ſympt. l.* 6. *c.* 3. Calcis vivæ deſiderio jamdiu preſſi, qui illam tandem pugni magnitudine voravit, maximè exindè recreatus, nulla ventriculi, nulla viſcerum offenſione.

XVII.

Ceterùm *poſitâ* ejusmodi, *uti diximus*, *redundantiâ, fermentum adulterante, virtutemq; vitiante, non poteſt non appetitus extraneorum oriri*, hìnc *conſuetorum averſatio, nauſea, vomitus, languorq; virium adſunt, & deſiderata plerumq; præſentibus in ventriculo reſpondent.* Idcircò ji, quibus melancholicus humor accidit, plerumque ſoliti ſunt res naturâ frigidas & ſiccas, ut *carbones, terram, cretam,* & id genus alia appetere. Contrà verò, quibus pituita dulcis adhæret, ſemp

dulci-

dulcibus, ut ſunt *piſces, crud. carnes, triticum crudum*, &c. delectantur. Rationem adjungit GAL. *in art. med. c.* 67. Malæ temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculum occupant, hoc differunt ab his quæ naturales exiſtunt, quoniam contraria, non autem ſimilia appetunt, ut naturales: Quod ſi ex naturali appetitu illa appetimus, quæ ſunt nobis ſimilia, & ex quibus nutriri poſſumus, cur non contra nobis liceat colligere, propter copiam pravorum excrementorum, quæ ſunt præter naturam, ægrotos contraria appetere; ſicuti evenit in intemperaturis præternaturam. Hæc tamen ratio non eſt univerſalis, ſed in illa picâ duntaxat locum habere poteſt, in quâ humor iſte pravus poſt alterationem longâ conſuetudine ventriculo familiaris eſt effectus, & eundem ad ſibi ſimilia ſive familiaria impellit. Aſt in principio dum alterat adhuc & afficit conſtitutionem ventriculi, eundem omninò ad contrariorum appetentiam commovet. Quemadmodum *Ampliſſ.* Dn. D. PRÆSIDE notante *Scorbutici ſæpè nihil magis quam Cochleariam aliaq; antiſcorbutica abhorrere ſolent*, vid. *Theor.* 6.

XVIII.

Fruſtra igitur *ſunt, qui occultæ qualitati Picam adſcribere nituntur*, nituntur quidem, ſed uti dictum, fruſtaneo conatu. Si enim occulta qualitas adeſſet, humoris depravati & corrupti indicia non elucerent. Interim tamen malignam ineſſe poſſe pulchrè annotavit JOH. HEURN. *de morb. mulier. c.* 1. inquiens: *Naturâ ſuâ non eſt pravus ille ſanguis, eſt enim roſeus purpureusq;, ſola peccans copiâ in ſanis mulieribus.* Sed evenit interdum, ut ille ſanguis in utero contentus non foràs eliminetur, ſed cunctando putreſcat, quod facilè fit in loco humido & calido, dum fœtida excrementa plurima nonnunquam in Utero ſtabulantur, quibus ſanguis ille ſi conjungitur, in peſſimum demum dege-

nerat venenum. Hoc paſſim confirmant hiſtoriæ, *Plin. l. 7. hiſt. nat. c. 15.* HIPP. 1. περὶ γυναικ. & LIBAV. *part. 2. ſingular. de rarâ Antipath.* Ubi canes eo abſorpto in rabiem verti, & ab eo tactas herbas mori, eoque tinctas fruges ſterileſcere, tradunt.

XIX.

Hinc *error Nonnullorum, qui ab humoribus iſtiusmodi corruptis, generari in ventriculo quoddam ſui generis venenum,* crediderunt, cum ſanguine corrupto in ventriculum regurgitante, non poſſit non fermentum quaſi per contagium etiam corrumpi. Poſitâ autem tali ſanguinis inconvenientiâ, non poſſunt non ejusmodi affectionem p. n. conſequi facultatum naturalium actiones læſæ. Virtutem enim caloris ſanguinei alienati cùm partes imitari cogantur, non conſueto, quô ex nativo fluebant modo, ſed perverſo operantur, uti hanc rem elegantiſſimè explicat MAGNIFICUS *Dn.* PRÆSES & *Doctor noſter feliciſſimus, in ſolenni Diſp. de ſanguine ejusq; obſervatione th.* 43 *&* 47. ut & *in Inſt. Med. ex ſanguinis naturâ fideliſſimè declarat. Diſp. VIII. th. 4. & ſeq.*

XX.

Relictis nunc immediatâ proximâ ut & remotis cauſis, *mediatæ ſeu remotiores*, omnibus aliis communes, *Res nonnaturales* dictæ, enucleandæ, quas inter (1) ſe offert *Aër*, qui fatente GAL. *l. 6. de morb. vulg. ſect.* 1. & rerum magiſtra Experientia, Ignem noſtrum variè alterare poteſt: Si calidus nimis & ſiccus, ſanguinem Chyloſum colliquat, inflammat & adurit; Si nimis frigidus, denſat, incraſſat, magis autem ſi impurus, ſpirituaſcentiam ejus impedit, quâ impeditâ, non poſſunt non partes adjacentes ventriculo, ſuum innatum fervorem amittere, & fermenti virtutem unà debilitare, Picæque fomitem ſubminiſtrare.

2. Non

XXI.

2. Non minima, ſed maxima etiam culpa rejicienda in *Victum*, utpotè cum morbus hic præcipuè à cacochymia & cruditate humorum proficiſcatur, ita, ut omnia alimenta, crudum ac melancholicum ſuccum generantia, illorum multiplicationi ſint convenientiſſima, qualia ſunt, *omnium generum legumina, fabæ, lentes, cæpæ* &c. *Caro item leporina, hirc., cervin., bubula, aprina*, de quibus GAL. 3. *de aliment. facult.* 2. *& l.* 3. *de locis affect. c.* 6. *Piſces ſaliti & fumo indurati, aliiq́; retorridi & fixi cibi immodicè aſſumti, Zythi* item *potus turbidus & craſſus &c.* calorem enim nativum ſuffocando deſtruunt, dum fermentationi reſiſtunt, hinc multum pituitæ & humoris pravi, à quibus ut plurimum depravatio fermenti.

XXII.

3. *Somnus* quidem malorum omnium Medicina eſt, ut habet ACHILL. TATIUS. *l.* 4. *de amorib. Clitophont.* & *Leucipp.* cum multum conferat ad coquendos vitioſos humores, caloremque nativum augeat, vires roboret, & teſtante HIPP. *Epidem. comm.* 5. *t.* 10. ritè adhibitus, viſceribus ſit cibus. Verum, ſi immoderatus eſt, crudos etiam in corpore auget ſuccos, & graviora reddit viſcera, GAL. *l.* 12. *m. m. c.* 3. Quarè in hoc noſtro morbo potius imperandæ ſunt vigiliæ, ſi modo vires ferant, non tamen modum excedentes, ex *aph.* 3. *ſ.* 2. quia ille, calorem hebetat, hæ verò ſpiritus diſſipant, medium ergò erit tenendum.

XXIII.

4. Paria faciunt *motus* & *vita ſedentaria*, motus quidem & exercitia obſtructiones ſolvunt, dum calorem nativum exſuſcitant, flammamque ſanguineam augent, corporibusque ſoliditatem inducunt, nutritioni etiam maximo ſunt adjumento, legitimo ſcil. tempore inſtituta,

quic-

quicquid enim noxium & otioſum agitant, diſcutiunt, atque expellunt. Illegitimo verò v. gr. ſtatim poſt cibum ſumtum, noxia producunt varia, dum ſanguinem accendendo in bilem vertunt, affectuique noſtro præſenti occaſionem præbent. Quare melius hic erit in defectu, quam exceſſu peccare. Sic etiam *quies cum vitâ ſedentariâ & otioſâ*, corpus plurimis excrementis, quæ non diſcutiuntur, implet, pituitam & cruditates auget, calorem obtundit innatum, ciborumque denique infelicem reddit diſpenſationem.

X X I V.

5. *Excreta retenta* ſuum quoque hic calculum adjiciunt. Excernenda namq; ſunt, quæ nulli ſunt uſui Individuo, Naturamque gravant, qualia ſunt *ſanguis poſt conceptionem retentus, menſtrua certas ſuas periodos non obſervantia*, itemque in *viris hæmorrhoidum conſuetarum ſuppreſſio*. Hæc omnia, cùm nunc diutius quam par eſt in vaſis & circa uterum commorentur, non poteſt non fieri quin labem interdum aliquam ex tractâ morâ concipiant, conceptamque puro transfluenti ſanguini impertiant.

X X V.

6. Denique valdè nobis ſuſpecta hic apparent *Animi pathemata* ſeu perturbationes, maximam enim vim habent corpus noſtrum alterandi, dum nimirum motum ſanguinis diſturbant, SENNERT. *l. de conſens. & diſſens. c.* 14. flammamque vitalem in ſanguinem potentem ſecum quaſi abripiunt, uti *Excellentiſſ.* Dn. D. PRÆS. vim illorum explicare ſolet. Itaque rerum jucundarum viſu audituque temperentur, ex *conſil.* GAL. *l. de ſanit. tuend. c.* 7. Ut enim animi perturbationib⁹ totius corporis conſtitutio immutatur, ita animi quies eam conſervat, & quicquid animum erigit, idem corpori prodeſt. Impoſſibile itaque eſt, hominem

minem crebris perturbationum fluctibus agitatum ſanitate inculpatâ diu uti poſſe. GAL. *l.* I. *de ſan. tuend. c.* 8. Hinc optimi Medici in curandis corporum affectibus, affectuum animi quoque habendam rationem, illosque vario conſilio & auxilio nunc ſedandos, nunc excitandos, ſeriò monent.

XXVI.

His accedit *in Gravidis Nonnaturalis cauſa, obſtructio* nimirum *meatuum uterinorum*, ob conceptionem, cujus occaſione & genituræ & ſanguini menſtruo arteriis egredienti tranſitus præcluditur. Quarè, cùm contenta illa alium fluxum & refluxum non habeant, non poſſunt non circa uterum retineri, retenta, ſi vitioſa fuerint, ulterius corrumpi, corrupta ab utero mediante ſanguinis motu reciproco per pylorum in ventriculum detrudi, *uti in theor.* 13. *expoſitum*, & ita fermenti depravati authores fieri.

XXVII.

Expoſitis cauſis, reſtant *Signa*, quæ vel *Diagnoſtica*, vel *Prognoſtica*: *Diagnoſtica* legitimè referri poterunt ad ſequentia *quatuor*: I. Cùm affectus hic externè ſeſe totum conſpiciendum præbeat, ſignum erit manifeſtiſſimum, dum ægrotans præter conſuetudinem multivaria, eaq; abſurda & quæ ſunt p. n. eduliorum genera expetit, ſummoque cùm deſiderio ſæpè devorat. II. Cùm materia maximè in ventriculo & circa orificium ejus ſiniſtrum latius hæreat, cruciatus & morſus ob humorum acrimoniam comites plerumquè eſſe ſolent. III. Et quia humorum ſæpiùs urget abundantia & affluentia, fermentum ventriculi adulterantium, fit, ut dum fibræ moleſtantur, eosdem expellere ventriculus conetur, quare hic nonnunquam & crebræ exſpuitiones, item nauſea & vomitus adſunt. Deniq; IV. non minus ob materiæ quantitatem

& qualitatem ventriculo inimicam, eundemque affatim afficientem, anxietates Picâ affecti ſentiunt. Diverſitatem autem afficientium humorum, temperamentum ægri, ætas, Sexus, excrementa, & res deſideratæ patefacient, quò minus pluribus teſtimoniis opus ſit.

XXVIII.

Miſſis Diagnoſticis, *Prognoſticorum doctrinam* evolvimus, quæ cauſæ & Symptomata largiuntur. Illæ enim ſi contumaces, malignæ & copioſiores fuerint, Picam difficilis curationis excitabunt; ſi verò paucæ, faciliorem reddent curationem, quæ interdum in ſolâ vomitione conſiſtit. Affectus autem hic familiaris quàm maximè Mulieribus utero gerentibus, *uti theor. 8 dictum*, quas plerumquè circà quadrageſimum â conceptione diem corripere ſolet. Interim melius eſt, ſi hoc affectu laborantes acida & acuta appetant, pejus ſi res planè à naturâ alienas, dicente AVICENN. *l. 3. fen. 3. tr. 2. c.* 20. Et licet Malacia non ſemper per ſe lethalis ſit, ex uſu tamen immodico rerum noxiarum prolongato, in gravidis Cardialgia, & Lipothymia ſupervenire ac lethalis fieri poteſt. Afficitur enim ſanguis ejusmodi qualitatibus & ad inducendam alienam Naturam redditur aptior, uti videre eſt in iis, qui ut plurimum cibis inconſuetis gaudentes infirmâ utuntur Valetudine: Ita enim rectiſſimè cum *Ampliſſ.* Dn. D. PRÆSID. procedo, *qualis cibus, talis Chylus, qualis Chylus, talis ſanguis, ſuccus nutritius & Sanitas.* Et deniquè quò hic affectus eſt diuturnior & humores fermenti magis adulterati, eo periculoſior, quia non rarò adducit Cachexiam, Atrophiam, Hydropem, & ſimilia ipsâ Picâ pejora. Ita BRASSAVOL. *comm. ad aphor. 24. ſect. 5.* quandam glacie uſam βραδυπεψίᾳ laboraſſe refert per ſemeſtre poſt partum. Sic NICOLAUS FLORENTINUS. *ſerm. 5. tract. 4. c.* 36. refert, ſe noviſſe Mulierem,

rem, quæ prægnans comederit circiter libras 20. piperis, & tamen non abortiverit, ſed poſt partum remanſerit ei fluxus menſtruorum cholericorum ſubtilium, quô exulcerata ejus matrix & mortua eſt.

XXIX.

Prælibato & luſtrato Genere, Subjecto, Cauſis, Signis tàm Diagnoſticis quàm Prognoſticis, *Curationem ipſam* nunc aggredimur, in quâ ſalutiferæ curationis omnis fons *Indicatio* prælucet; ſine quâ curatio perfecta non poteſt inſtitui juxta GAL. 3. *m. m. c.* 3. *& Claud. de ingreſſ. ad infirm. l.* 1. *c.* 9. Cum autem *Picæ*, utpotè *Symtomatis parens* ſ. *auctor morbus ſit intemperiei*, recedentis ſcil. ad ablationem cauſæ; *hujus* verò *Intemperiei cauſa ſit adulteratum fermentum tunicis ventriculi impactum*, *facilè patet illud reſtaurandum & priſtinæ integritati reddendum eſſe*, *adeoq; cum laudabili fermento permutandum. Aggrediemur* autem hoc, ut *ex Pathologia per Generationis & Solutionis Morborum modum* Dn. D. PRÆSIDIS *tradita*, hæc noſtra faciamus, *partim per rejectionem portionum adulteratarum, partim per correctionem reliquiarum. Illam* Vomitoriis & ventriculo nauſeam conciliantibus fœtidis procurabimus; *Hanc* vero vel deſideratarum exhibitione præparcâ in Gravidis præcipuè, vel earundem artificialium oblatione, vel multarum portionum utilium permixtione tentabimus, quò fermento & ventriculo priſtinum robur reſtituatur. Utimur autem ad eam, quam paramus, rem Præſidiis in Medicorum foro aliàs receptiſſimis, ex *Chirurgiâ, Pharmaciâ & Diætâ* petendis.

XXX.

Quare memores præcepti *Divin.* HIPP. *aph.* 6. *ſ.* 1. & *aph. itid.* 6. *ſ. ult.* ut & GAL. 5. *m. m.* mitioribus, quibus parum aut nihil proficientibus, demum valentiora ſubordinabimus. Propterea ſuademus primò *Diætam*, quæ licet lentè,

 ſecu-

ſecurè tamen & blandè ſanguinem, & per ſanguinem corpus alterat & immutat, non ſolùm in eſculentis & potulentis, ſed & in reliquis ſex rebus Nonnaturalibus conſiſtens, mitiusque quàm reliqua præſidia Nonnaturalia operatur.

XXXI.

Ex his igitur *Aër*, ſit moderatè ſiccus, temperatus, purus, blandè ſpirans & ſerenus, pravis & nebuloſis, ſalſisque exhalationibus minimè inquinatus. Nam laudatiſſimus inquit PAUL. *l.* 1. *c.* 49. Aër eſt, qui exactè purus & non ex ſtagnorum aut paludum vapore turbidus exſurgit, nec ex profundo quodam ſpecu peſtilentem auram exhalante provenit, qui facillimè ſpiritus corrumpit & contaminat. Si verò ob naturam loci, temperatus & purus aër non ſperandus, arte ille erit corrigendus, & vel accenſo foco luculento ex *lign. laurin. Juniperin.* &c. vel excitato fumo ſuaveolenti *ex globulis* vel candelis *ex gumm. benzoin. ſtorac. calam. ſtorac. liquid. lign. aloes, roremar. ſaſſafr. carbon. tiliæ cum miſturâ tragacanth. in aq. roſar. confectis*, &c.

XXXII.

Verùm, cùm *fermentum adulteratum*, tunicisque oris ventriculi hoc in affectu p. n. ſit impactum, & ventriculus propter hanc intemperiem ſuâ in actione turbetur, ſtudendum, *ut illud corrigi poſſit ab aſſumtis medicamentoſis ſalubres reliquias offerentibus. Offeruntur autem dictæ iſtæ ſalubres reliquiæ*, ſi cibi facilioris coctionis boniqueſucci, aromatibusque ſtomachicis conditi, tempore opportuno aſſumuntur. E quorum cenſu ſunt, qui molles, friabiles & humectantes apparent, ut *caro vitulina, hædina, caponis, pulli, perdicis, aliarumq; montanarum avicularum*, ſimiliaque alimenta &c. quæ elixari poterunt cum *cort.*

aurant.

aurant. caryophyll. cinamom. citr. vel etiam *ſucc. citri* humectari, vel cum *cucumeribus immaturis aut olivis muria acida conditis* exhiberi, tum ad appetentiam gratam excitandam, tum & ad concoctionem feliciorem & faciliorem juvandam. *Panis* denique ſit *optimè fermentatus* & *piſtus, ſuccoq́; Cydoniorum aut Granator.* aut *acetoſellæ* maceratus. Refert enim BALD. RONSSEUS, ſe noviſſe non nullas, quæ ſolo eorum uſu ſanitatem iterùm recuperarint perfectam.

XXXIII.

Inappetentiâ verò laborantibus & cibos planè averſantibus, uti nonnunquàm Gravidis accidere ſolet, ut gratificemur, exhibere poſſumus deſiderata *in paucâ quantitate,* ne fœtus lædatur, vel artificioſè correcta & confecta, v. g. ſi terram appetant, panis bis coctus nigro colore tinctus porrigendus, aut ſi cretam, vel calcem, AVICEN. & AET. amylum recens præbere jubent, aut malis portionibus multa utilia commiſcenda, quò minùs fermenti ventriculi vis extinguatur. Nec, ex *obſervatione* JOH. VARAND. *Tract. de morb. ventricul. c. 4. p. 91.* omittendæ erunt Parentum & amicorum admonitiones ſedulæ, vel ſi neceſſè fuerit, etiam ſtrenuæ objurgationes, ut iſta abſurdiſſima & naturæ inconvenientiſſima fugiant.

XXXIV.

Potus, quantùm pro ratione convenit, ſit exiguus & paucus. *Vinum* ſit benè odoratum, tenue, flavum, quale Rhenanum, aſtringentibusque ut *granat. cydon.* & *aq. Cichorij* dilutum, propinandum. *Aqua* vel cum *aniſ. fœnic.* vel cum *rad. Cichor.* &c. decocta, hauriri poteſt. *Cereviſia* quoq; quæ parum triticea, beneq́; defæcata ac lupulo modicè condita, optima. Cùmq; nihil quicquam, quod Naturæ inimicum, bonum, ex *aph. 4. ſ. 2. Exercitia* gravi-

 dis

dis aliàs rara & pauca, non omninò prohibenda, ſed ea, quę limites mediocritatis non tranſiliunt, ventrem vel concutiendo vel artus extendendo, præprimis ante ciborum ingeſtionem concedenda.

XXXV.

Somnus mediocris & naturalis prodeſt ex *aph.3.ſ.2.* nec mox ab ingeſto cibo, ſed intermiſſo aliquo temporis ſpatio, interpoſitaq́; aliquali obambulatione, expetendus. *Excretiones conſuetæ naturales* quoque promoveantur, alvus ſit lubrica, & ſi ſubſiſtat, per lenientia ſui admoneatur officii, ex HIPP. *de rat. vict. c.* 32. *&* 45. *&* GAL. 6. *de tuend. ſan. c.* 9. ne excrementa in hypochondriis accumulata ad ventriculum regurgitent, materiaq́; vitiata fermentum inquinet. *Menſium* item & *hæmorrhoidum retentio* ad fluxum naturalem revocanda, ſi nihil impedimento fuerit & disſuaſerit. Debent enim ea tantummodò excerni & retineri ab Ægro eo modo & tempore, quo conſuevêre in valetudine ſecunda inquit PAUL. ÆGINET. *l.* 2. *c.* 3. Quare hìc in omnibus Natura ſit lux & dux, mediocritasq́; inſtar ſtatuæ Mercurialis. Triſtitiam inſuper, metum, odium, aliaq́; *animi pathemata*, tanquam hoſtes corporis noſtri infenſiſſimos, ex GAL. 1. *de tuend. San.* 8. cum magna illorum vis in ſanguinem, ſanguinis in omnes corporis tractus, *uti in th.* 15. *demonſtratum*, planè hic relegamus, lætis ècontrà & jucundis colloquiis animus ægrotantis indulgeat, quô oblectatô & tranquillatô, corporis curatio faciliùs & felicius ſuccedat.

XXXVI.

Obſervatâ hoc modo Diæta, ſi ſpes ſanitatis nondum affulſerit, alterum Medici Practici inſtrumentum utpotè *Pharmaciam* conſulimus, ut humores tetri & maligni fermentum ventriculi depravantes educentur, intemperiesq́;

rieſq; tunicarum convenientibus medicamentis corrigatur. Præprimis autem hic attendendus *Locus affectus, Ætas, Mas neſit an fœmina, Fœminaq́; anſit, aut non ſit Prægnans,* aut *Virgo, Tempus anni* & denique *conſuetudo.*

XXXVII.

Locus affectus, cùm exquiſitiſſimo ſenſu ſit præditus, *uti th.* 5. *docet*, à valentioribus & acrioribus medicamentis abhorret. Hinc ſedulò cavendum, ne mox in principio forti aliquo medicamento eliminemus totam materiam depravatam, ſed præmiſſis materiam præparantibus, juxtà *Divini Senis Regulam* 1. *Aph.* 22. fortiora dein' eligenda, habito tamen reſpectu ad fermentum depravatum, in hâc vel illâ Picâ prædominans. Humor enim bilioſus ſi acceſſerit, præparandus *Syrup. viol. roſar. de endiv. cichor. oxyſacch. &c.* Melancholicus, *Syr. de fumar. de acetoſit. citr. cochlear. de oxym. crem. tart. & ſeq.* cum aquis appropriatis. Pituitoſus, *Syr. de hyſſop. beton. artemiſ. abſinth. de duabus radicib.* &c.

XXXIIX.

Præparatis præparandis *eliminationi maturos humores tutò nunc purgabimus.* Aſt duplex nobis hic monſtratur evacuandi via, nimirum ſuperior & inferior. Attamen cautè procedendum in Prægnantibus, ne ſimul & fœtus excludatur & abortus acceleretur. Purgandas quidem non eſſe Gravidas, multi multis defendunt. Nos, hujusmodi Ægras purgandas cenſemus, cum indicans primarium purgationis in eaſdem cadat, nimirum *cacochymia.* Nam inter initia inſtituta prohibet, ne malum ad reliquas corporis ſerpat partes, ſanguinemque adhuc purum inficiat, illeque contractâ labe majora excitet mala. *Salutaris itaq́; erit*, ſi hæc tria, nimirum *Morbus, Gravida & Purgans*, probè obſerventur.

Mor-

XXXIX.

Morbus, ſi talis eſt, ut materia quaſi turgeat, juxta Hipp. *aph.* 1. *ſ.* 4. Prægnantes purgandæ: turget autem quaſi ut plurimùm in Gravidis Picâ jam tùm laborantibus. Gravidarum etiam vires penſiculandæ, quæ ſi debiles, purgationem prohibent, & alium curationis modum requirunt. Tempus geſtationis, quod in hoc morbo principium eſſe ſolet, *ut ſupra dictum*, purgans quidem non omne, ſed fortius reſpuit. Quare purgans quod præſcribendum, ſit mite, clemens, benignum, ac acidum, quale eſt *Syr. roſ. ſol. de ambub. Syr. de rhabar. ſolutiv. paſſulæ laxativæ, Diaprunum laxativum, Diaſebeſten, Elect. Diacatholic. lenitivum Fiorenz.* &c. quorum doſin vel indicantis quantitas, vel ægri natura determinabit.

X L.

Pro varietate tamen & ſpecie humoris, ſpecies purgantium, quę à Practicis paſſim annotatę, pro lubitu Ægrotantium variare poſſumus. Ipſis interim purgantibus ſemper admiſcenda ſunt, aut ad minimum poſt exhibenda, quæ tum ventriculum, tum fœtum, tum & Matrem ipſam corroborent, ut ſunt *confect. ſem. aniſ. fœnic. cardamom. el. &c. Spec. diarrhod. abb. aromat. roſar. gran. Chermes. pulveris. Man. Xr. ſimpl. pulv.* it. *Magiſt. corall. perlar. granat. confect. de gemm. amygd. dulc. cum vino malvatic.* commendatiſſimus etiam hic habetur ad Matrem fœtumque roborandum *pulv. contra abortum* ad ℈j. & ʒß. ut & *Balſamus Embryonum Auguſtan. ad Cochl.* j. &c.

XLI.

Vomitoria quoquē licet purgans magis arrideat, non repudiamus, cùm materia fermenti depravati in ventriculo, orificioque ejus hæreat, imò & ipſam Naturam vomitiones plures ſine omni noxa fœtûs eniti, experiamur; Sunt enim

enim Prægnantes ferè omnes ad vomitum proclives, earum enim abdomen dum turget, non poteſt non ſumma adeſſe inteſtinorum anguſtia, hinc leni factâ abdominis contractione faciliùs ſurſum materia excluditur. Cautè tamen & circumſpectè, ſi fieri debet, fiat. Aſt in Viris, Virginibus & Fœminis non gravidis, ſecurè & maturè vomitio etiam fortioribus, quemadmodum & Purgatio; tentanda. Vomitorium igitur pro ratione morbi & ægrotantis vel *lene*, ut ℞. *aq. tepid.* ℥ iij. *ol. crud.* ℥ j. *Syr. acetoſitat. ſimpl.* ℥ jß. Vel *fortius* parandum ſi æger non facilè movendus, conſtitutioq; robuſta ac valida adſit: ut ℞. *fol. Aſar.* nro. iiij. macerentur per 8. horas in vino. Colaturæ fortiter expreſſ. ℥ iiij. addantur *Syr. acetos.* ℥ j. *Syr. fl. perſicor.* ℥ß. Miſc. S. **Wein zum brechen.** Poſt vomitum, offeratur patienti buccella panis toſti in ſucco cydon. aut granat. macerata.

XLII.

Diaphoriſin inſuper commendamus, obſervatis iis omnibus, quæ in ſudoris excluſione obſervatu neceſſaria, provocandam per attenuantia, quibus ſemper corroborantia & malignitati reſiſtentia addantur. v. g. ℞. *aq. cordial. Saxon.* ℥ j. *C. C. ſine ign. Antimon. diaphor.* gr. xv. *ſyr. de tot. citr.* ʒ iij. *conf. alcherm.* ℈ j. M. f. Potio. S. **Schwitzträncklein.** A *Fideliſſ.* Dn. D. Præsid. hic præprimis commendatur *El. Diaſcord. Fr. Sal. card. ben. item prunell. C. C. Philoſoph. præparat. cum mixtura ſimpl.* & in Gravidis *cum pulv. contra abortum.* His enim adhibitis, materia peccans in minutiſſimas quaſi particulas diſtrahitur, venæ & arteriæ deplentur, Sanguis corrigitur, inutilesque portiones per poros cutaneos evocantur, hâcque ratione per ambitum corporis dum diſſipantur, nec deinceps ad Epar aut Ventriculum ampliùs confluunt, locoq; ejus laudabiliores portiones ſuccedunt.

XLIII.

Virorum denique *hæmorrhoides* anteà fluere conſuetas, nunc verò ſuppreſſas iterum revocamus, uſu *Pillularum aloëticarum*, vel *Syr. de fumar. de cichor. cum rhabarb.* item *de quinq; radicib.*&c. vel ſequenti inunctione: ℞. *pulv. rad. Scrophul.* ℥ß. *ol. verbaſc.* & *ceræ* q. ſ. f. Liniment. Sic etiam, ex *fl. verbaſc. linar.* ā mjß *cort. inter. Sambuc.* p. iij. *ſem. pſyll. alth. lin.* ā ʒ ij. inciſ. & contus. groſſo modo, datisq; ad Chart. & S. Species zu Säcklein/ poſſunt enim duo vel tres ſacculi fieri & alternatim in lacte coct. externè calidè applicari. Vel *frictiones aſperæ* cum *parietaria & foliis ficus* fieri. *Mulierum* verò & *Virginum obſtructos menſes* reddimus fluidiores, *Syrupo & decoct. artemis. calament. fœnic. aſparag.* item *Syrup. de quinq; radicib. artemis. Extract. caſtor. fæcul. bryoniæ* &c. Sic Zacutus Lusitanus fœminam per decennium menſtruis omniò carentem & Picâ laborantem ſolùm, conſervâ artemiſiæ ſuperbibitâ aqua ſtillatitiâ Sabinæ, in quâ per noctem rhabarbarum maduit, 30 dierum ſpatio priſtinæ ſanitati reſtituit, vid. *lib. ejus 2. de Praxi Med. admir. Obſervat.* 99. *p.* 221. Commendantur etiam hic præcipuè *rad. Ariſt. rot. ver. valerian. gentian. fol. artemis. matricar. origan.* &c. item *Elixir. proprietat. Paracelſ.* cùm *ſpir. croci, lavend. meliſſ. cochlear.* aliisque appropriatis exaltatum, nobiliſſimas enim & ſalutares in movendis menſibus exerunt vires.

XLIV.

Relegatis humoribus noxiis, ad *diſcutientia*, ventriculumque roborantia pergendum, quæ vel *interna*, vel *externa* poſſunt haberi. *Interna* præter alia ſuprà enumerata laudantur *cort. citr. conſerv. cydonior. rotulæ diarrhod. abb. ſpec. roſat. novell. Aq. vitæ, rad. cichor. condit. aliaq;* ad excitandam vero fermenti in ventriculi fundo reſidentis vim,

ut

ut melior fiat digeſtio, & cruditatum proventus inhibeatur experientia *Excellentiſſ.* Dn. D. PRÆSIDIS, *fermentum panificii cum Tartar. laudatum* dari poteſt, vel tale etiam præſcribi conditum: ℞. *Conſerv. Beton.* ℥jß. *fl. anth. ſtœchad. arab.* ā ℥j. *nuc. moſch. indic. condit.* ʒiij. *ZinZib. condit.* ʒij. *ſpec. arom. roſat.* ℈iiij. *Syrup. de cort. citr. compos. & cinamom.* ā *q. ſ. F. l. a. Miſtura mollis.* RODERICUS. à CASTRO. *lib.* 3. *morb. Mulier. c.* 9. Viris ac Fœminis mirificè hic prodeſſe ſcribit, per multos dies ſumere ʒj. aut ʒjß. *conſerv. de ſcoria* ferri. *Forinſecus* verò admoveri poterunt, *olea, balſami, cataplaſmata, Linimenta, Sacculi* &c. quæ languidum ventriculum corroborare poſſunt, in quem finem inungatur *ol. nard. nuc. moſchat. cydon. de expr. abſint. de maſtichin.* Ex Balſamis proderit maximè ſequens. ℞. *Ol. nuc. moſchat. expr.* ʒj *pulv. maſtich.* ℈j. *cum ol. ſtomach.* q. ſ. add. *ol. menth. deſtill.* gr. vi. M. pro balſam. ad pyxidem. Poſtea ventriculus fovendus cataplaſmate Rhaſis, *ex ſtyrac. ſpica, abſint. calamo aromat.* conflato. Mirum & in modum ventriculum roborat Linimentum confectum ex *ol. nard. compos.* ʒvj. *ſpec. arom. roſ. diagal.* ā ʒß. *medull. vitul.* ℥j. quo regio ventriculi calidè inungatur. Et denique Sacculus ex *abſinth. menth. Salv. roremar. & roſis rubr.* paratus, ut & *Ceratum ſtomach.* GAL. ſuper alutam extenſum pro ſcuto ſtomachalj.

XLV.

Et tantùm de Præſidiis, quæ ex fonte Pharmaceutico promanarunt, ſupereſt *Chirurgia.* Comunis enim omnium eſt ſententia, Sanguinis miſſionem, ſi malum à ſanguine menſtruo aut hæmorroidum ſuppreſſo originem traxerit, ad eosdem provocandos remediorum omnium optimum & maximum eſſe, niſi aliquid ſubſit, quod eam impediat aut prohibeat. Cùm autem hoc noſtrū malum in gravidis

 à re-

à redundantiâ humorum pravorum ab Utero ad ventriculum factâ, contingat, vaſaque hac ratione magis magisq; depleantur, *Venæ Sectio* nobis ceu Sacra anchora à GAL. 13. *m. m. c.* 31. quam rectiſſimè commendatur, in omni enim plethoricâ conſtitutione tanquam potentiſſimum auxilium convenit, ut abundantia minuatur, ebullitio prohibeatur, reliquoq; Sanguini liberior tranſitus concedatur.

XLVI.

Ut autem iſta rectè & legitimè adminiſtretur, non negligendum I. *Tempus idoneum*, quo operatio illa tentanda. Idem inculcat GAL. *l. de curan. rat. per S. M. c.* 18. in ſuppreſſis, per tres vel quatuor dies ante tempus conſuetæ per Naturam evacuationis, cùm conſentaneum ſit rationi, eôdem potiſſimum tempore Naturam incipere movere & laborare pro molienda hâc conſuetâ evacuatione, quæ ut felicius procedat, ope & auxilio indiget, dum ob cauſas præternaturales conatus ejusdem ſunt inanes. Quapropter pro Venæ Sectione hoc tempus ſemper eligendum, nam ſic ſublevatur Natura â pondere gravante, robuſtiorque reddita facilius conſuetam repetere evacuationem poterit. In *Prægnantibus* verò humorum affluentiâ abundantibus, ſi eousque duraverit Pica & neceſſaria V. S. fuerit, *inſtitui poteſt à quarto usq; ad ſeptimum menſem, quintus vero optimus habetur* Dn. D. PRÆSIDI *ceu medius, reſpiciens ad præcedentia & ſequentia.* Eſtq; ex AVERROE 7. *collect. c.* 4. tutior venæſectio, ſi Gravida corripiatur morbo aliquo acuto, Purgatione, cùm hæc magis agitet, & humores pravos ad Uterum perducat. Nec quicquam hic obſtare videtur HIPPOCRATIS auctoritas *aph.* 31. *ſ.* 5. Nequaquam enim ibi V. S. abſolutè prohibet in Gravidis, ſed id tantum vult, religioſè & cautè illâ utendum eſſe, quod colligitur cum ex modo loquendi, qui conditionatus eſt, maximè videlicet

delicet ſi fœtus ſit grandior: Tum ex causâ, ob quam prohibuit, quæ ex GAL. *in comm.* eſt, ne alimentum fœtui ſubtrahatur. Undè facilè conſtat, ſi Sanguinis copia adſit, aut ſi ita parcè is emittatur, ut ejus mali, quod prædicit HIPP. nullum ſit periculum, omninò V.S. locum eſſe concedendum.

XLVII.

II. *Locus conveniens*, per quem ſanguis extrahendus: De delectu venarum hic inter Medicorum Proceres ad nauſeam uſq; diſputatur & ventilatur. RONSEUS *l. de magn. Lien. c.* 8. FOREST. *l.* 20. *obſerv.* PLATER. *tom.* 3. venas brachii ſiniſtri tundendas urgent, cum Lien hic magis afficiatur, atque id probare conantur illo GALENI *l.* 2. *ad Glauc. c.* 2. quo in Lienis morbis, venas manus ſiniſtræ aperiri jubet. Alii econtrà ſelectionem venarum ſecandarum planè improbant, eâ ducti & edocti ratione, quod venæſectio non alio modo juvare videatur, quàm relictæ in vaſis inanitis maſſæ liberiorem motum conciliando. Unusquisque ſuo ſenſu abundat, interim tamen rectius cum ORIBASIO per eas vias Mulieres evacuari feliciter ſtatuimus, per quas Natura eas ſolet aliàs expurgare: Eligenda itaq; erit ea vena, in ſuppreſſione menſium uti & hæmorrhoidum laborantibus corporibus, quæ Utero ut & Inteſtino recto reſpondet per conſenſum, & quidem vena pedis, aliàs Saphæna dicta. Hoc & GAL. 13. *m. m, c.* 11. confirmat dicens: *Quod ſi aliquando partes quæ infra thoracem ſunt, ut renes, veſica, pudendum, & Uterus, malè habeant, tunc inferiores venæ, quæ in cruribus ſitæ ſunt, ſecandæ veniunt*: Et in *lib. de rat. cur. per S. M. cap.* 11, & 17. porrò in crure ait, *non in cubito, ſectæ enim in cubito venæ, purgationes menſtruas magis comprimunt, ſanguinemque qui ad Uterum fluere deberet, ad ſuperiores corporis partes potiùs retrahunt, quàm promovent.* Aſt *in Gravidis ob metum abortus, venarum ſuperiorum ſectiones ſecuriores cenſet* Experientiſſ.

rientiſſ. Dn. D. Præs. *licet & inferiorum inter initia geſtationis ſectiones in abortum deſiderantibus ſuſpectæ pudicitiæ fœminis, fœtui innoxias vel ſaltem ad abortum ineſſicaces bis tervè notaverit.*

XLVIII.

Accedit III. *Quantitas ſanguinis mittendi*, quam detrahendi, qualitas ipſius, vires ægri, ætas, malique præſentis ſtatus edocebunt: Siquidem carnoſis, candidis, ac mollioribus, quibus parvæ ſunt venæ, paucus ſanguis mitti debet, uti iterum Gal. monet *lib. de curand. rat. per. S. M. c.* 11. Quæ verò Mulieres graciliores ſunt & nigriores, venasque majores habentes, largiorem admittunt & requirunt ſanguinis dimiſſionem.

XLIX.

Quibus autem Phlebotomia non confert, iis felicius & utilius adhiberi poſſunt *Scarificationes* aut *cucurbitulæ Scarificatæ*, velut venæ ſectionis vicariæ, applicari partibus inferioribus, cruribus ſcil. revulſionis gratiâ. *Applicantur* autem parti, vel *cum Scarificatione*, ad evacuandam vitioſam materiam, ex ſententiâ Paul. *l.* 3. *c.* 77. Nicol. Pisonis *l.* 3. *de curat. morb. c.* 61. Vel *ſine Scarificatione* cum multâ flammâ ad revellendam materiam, teſtimonio Hippocratis *de loc. in hom.* Gal. *l.* 13. *m. m. c.* 19. & Oribas. *l. de cucurb. c.* 17. Et denique *Hirudines* illis, quibus hæmorrhoides conſuetæ non reſpondent, auxilium promittunt, dum materiam pravam exſugunt, teſtante Fabr. Aquapend. *l. de operationib. Chirurg. c. de hæmorrhoidib.* Priusquam tamen partibus admoveantur, conſpergantur ſale, & aqua puriſſima ſæpè abluantur, ut omnem virulentiam & malignitatem deponant, & extractione ſanguinis peccantis faciant officium.

L.

Hiſce itaque Præſidiis Medicis ritè & in tempore adhi-

adhibitis, ſuppreſſæ portiones ſanguinis inflammabiles cùm igne vitali rurſus excitentur & actuentur, novas quaſi vires acquirunt, novasque operationes edunt. Hinc non poteſt non ſanguini concitatior motus conciliari, & in viſceribus & circa Uterum, & per ejus motum cauſæ morbificæ ſequeſtratio accelerari, adeoque integritas ejus ſubſtantiæ & actionum reparari, ſed & ventriculi appetitus rectificari. Nam poſitâ humorum ſalubritate ventriculi fermentum juvante, appetitus oritur conſuetorum ſeu familiarium, fames prava remittit, *ventriculusq;* ab impuritatibus præſervatur, *cujus Sanitas in eo unicè conſiſtit, ut alimenta appetat, aſſumtaq; rectè chylificet*, ſed & reliquarum actionum integrum ſperandum exercitium, excernendorum & retinendorum conſuetæ eliminationes & retentiones continuabuntur, decor nativus partibus omnibus conciliabitur, adeoq; ſalus totius corporis Individui & ſpeciei, in Gravidis, ritè redintegrabitur, ſi ſcil. dictis audientes fuerint Picantes, utque omnibus adſit & perennet, optamus & exoptamus, inque hoc pio voto diſcurſum noſtrum de præſenti atrociſſimo affectu, *Lectoris B. veniam*, ſi improvidè aliquid commiſſum aut omiſſum, *non enim omnia poſſumus omnes*, anhelantes, MAGNIFICO DN. D. PRÆSIDI pro Paternâ tutelâ gratiſſimum animum ſpondentes, devotiſſimasq; pro conceſſâ gratiâ canentes gratias

SacroSanctæ Trinitati,
Patri, Filio & Spiritui Sancto,
concludimus.

Ad Pereximium atq; Doctiſſimum
DN. AUCTOREM
De PICA Diſputantem.

SI ſtadium hoc læto curres conamine HUBRIGI,
Quod benè cœpiſti Numine propitio.
Et mentem intendes cauſam rimarier omnem
Fermentorum, ex quâ Ventriculo labor eſt.
Magna viam fortuna Tuam reget, omine fauſto,
Atque brevi hoc ſtudio digna brabéa feres.

Fauſta acclamationis ergò ſcrib.
PRÆSES.

INgenio quantus ſit NOSTER *Pica* loquetur,
Quam mittit comptam docta per ora Virûm.
Has raras dotes dum promis *Dulcis Amice*,
Præmia, quêis dignus, promet Apollo Tibi.

Nobili DN. Hubrigio Eruditionis ſolida & Humanitatis Encomio Commendatiſſimo, hac ſumma beneVolentia. E. app.
Paulus Roſenhardt genandt Glockengieſſer
Med. Doctorandus.

DOctius, HUBRIGI, das *fœdam* noſcere *Picam*,
Tollere proſperius, pagina docta probat.
Gratamur cœptis. Doctrinæ jungere Praxin
Pergito. Non deerunt LAUREA SERTA comis.

Bona ſcavæ ergò F.
Bartholomæus Zornn Berolino-Marchicus.

JCh höre andre Sinnen/
O du mein ander ich/
Beſingen dein Beginnen
Vnd loben dich vor mich.
Die Sinnen/ die ſchon ſchweben
Jn längſt verdienter Ehr/
Vnd können zeugnüß geben
Von ihrer Kunſt und Lehr.
Drumb kan ich deine Sitten
Vnd ſauer ſüſſen Fleiß/
Nach Wunſch nicht überſchütten
Mit wohl verdienten Preiß.
Genung daß hohe Geiſter/
Vnd zwar ohn dein Begehr/
Das Werck lob' ſeinen Meiſter/
Geſetzet willig her.
Wohl Dir! Jn Pallas Gräntzen
Jſt man nunmehr bemüht/
Mit Ehren zubekräntzen
Dein tugendhafft Gemüth.

Zu Bezeugung brüderlicher Willfahrung und wohlgemeinter Gratulation hat dieſes wenige mit willfärtiger Feder zu Papier ſetzen wollen und ſollen dein treueſter Bruder
Johann-Chriſtian Hubrigk. L.L. Stud.